



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

A melancholiâ fuit immunis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

vmquam ullius motionis, turbationis, affectionisque concitatae signo interruptus. Denique iugis illa affluentia numquam satis laudatae laetitiae spiritualis, quam tanti fecere semper Viri sancti, commendaruntque perfectioris vitae Magistri; ut pote quae arguat puritatem excellentem animi; fastidium quoddam ac nauseam rerum caducarum; vacuitatem appetituum; gratiae diuinae ac rationis in omnes affectus, motusque animi perfectum dominatum. Interrogatus quandoque *Alexandro Rimbal.* ab eiusdem secum cubiculi contubernali, percepissetne aliquando vel sensum leuissimum nascentis in se tristitiae, seu melancholiae; Ego, respondit, quid rei melancholia sit, aut melancholicum esse quid sit, nescio. nempe haud meminerat, se umquam, quid id esset, fuisse expertum. Et auditâ semel Rectoris domesticâ adhortatione, docentis, quantum Religioso homini noceret tristitia, utque mater esset ac nutrix temptationum omnium; ipse in colloquio saepius ea damna cum execratione celebrabat, subiiciebatque, se vsu quidem id non didicisse, sed auctoritate Rectoris ita affirmantis; cetera, per Dei gratiam, numquam expertum. Et sane felix ille Ioannis animus haud obscure indicabat, se mortali hac in vita gustum quemdam præcipere æternæ felicitatis, ac pignore illo futuræ

cuturæ gloriæ potiri , ad quam tantis amo-  
ris significationibus à Deo esset destinatus.

Erat quippe non accersita in eo grauitas, *Eius mores.*  
nec mixta leuitate alacritas, sed hilaritates  
etiam maximas, risumque suum semper sub-  
missionis cuiusdam ac modestiæ tempera-  
tione miscebat. Numquamque magnâ af-  
fabilitatis dulcedine, gratiaque alloquebatur;  
ac licet in agendo serius esset & grauis, id gra-  
ue tamen nemini erat, sed iucundum gra-  
tumque. Numquam auditus vel per iocum  
illudere ulli, aut irridere; numquam explode-  
re quemquam, aut verbis lacescere; num-  
quam queri, aut doloris alicuius sensu, à quo-  
quam se fuisse lœsum significare; efferuescere  
numquam, nedum irasci, aut vocem solito  
contentiorem aliquando mittere, etiamsi vi-  
gens ei esset natura spiritibusque concitata.  
Si quis eum laudaret, vidisses non inflari aut  
efferri, sed honesto suffundi rubore. In cul-  
pam vocatus, aut reprehensus, non se dabat  
mœrori, sed demittebat submissè animum  
gaudentem potius atque acquiescentem,  
nullaque perturbatione commotum. Non  
deiciebatur aduersis, aut ullis à seruiendo  
Deo difficultatibus absterrebatur, quin po-  
tius diuinâ nixus ope, animos addebat alijs,  
incitabatq;. Actu promptus erat, non anxius.  
Occasiones agendi neque celeritate nimiâ  
ante-